

Q. F. F. Q. S.

21

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

Exhibens

SELECTIORA NONNULLA

437

THEOREMATA
MATHEMATICA;

QVAM

Præviâ gratiâ Divinâ,

Cum consensu & adprobatione Amplissimæ Facultatis
Philosophicæ, in Regiâ Academiâ Aboënsi;

SUB PRESIDIO

VIRI Excellentissimi ac Præclarissimi,

Dn. M. JOHANNIS FLACHSENII,
Mathematum Professoris publici, Mecœnatis, Præ-
ceptoris ac Promotoris sui, jugis reverentiae & obse-
qvij cultu æternum percolendi:

Pro gradu & Privilegijs Magisterij Philosophici indipi-
scendis, publicè ventilandam Proponit

SIMON JOH. Falpo Aboënsis, Reg. Al.

In Diatribe Academiæ Maximâ, ad diem 25. Iunij, Anni
partus Virginei, Septuagesimi quinti, supra Milles. Sexcentes.

A B O Æ,

Excudit PETRUS HANSONIUS, Acad. Typog.

ILLUSTRISSIMO ATQ CELSISSIMO
HEROI AC DOMINO

DN. PETRO Brahe/
Comiti in Wissingzbårg/ Lib. Baro-
ni in Cajana/ Domino in Rydbo-
holm/ Lindholm/ Brahelinna & Bo-
gesund/ &c. Regni Sveo-Gothici
Senatori supremo, Drotzeto &
justitiæ Directori Generali, Ves-
manniæ, Montanorum & Dalecar-
liæ judici Provinciali, Regiæq;
Academiæ Aboënsis Cancella-
rio Magnificentissimo, Domi-
no meo Clementissimo

Disputationem hanc

humilimâ animi subjeccione

DEDICO ET INSCRIBO

ILLUSTRISSE COMES, DOMINE
BENEFICIENTISSIME.

A ugustum Vestra Cels.^{nis} vultum subiturus, ad tanti nominis ve-
nerationem facili^e obstupuisse, nisi spem animo subjecisset, ini-
defatigabilis favor, in benignitatem prouissimam effectus, & omni laude
superior, in Docentium juxta ac discentium gregem, in hac aboren^s Aca-
demia effusa liberalitas & Magnificentia, qui tantum abest ut paria cel-
studini^s Vestra meritis & beneficiis rependere possit, ut potius sentiat
se & profiteatur ingenuè, totum esse in are Vestra Cels.^{nis} nec unquam
posse debitorum nomina expungere. Adeò enim Vestra Cellitudinis
in nos præclarissima merita excedunt mensuram nostrarum virium, ut
de referendā gratiā, ne cogitationem quidem suscipere liceat. Habi-
tura tamen erit Vestra Cels.^{do} nos omnes perpetuū officiorum obsequi-
orumq^{ue} generibus sibi devinctissimos, & tantorum beneficiorum memores.
Quæ quidem non è resero, ut Vestra Cels.^{nis} laudes vel aquare vel
circumscribere possem, quæ dudum in Historiarum & omnis posteritatis
memoriā triumphant. Hae tantum humillime mentis testificatione,
genibus Vestra Cels.^{nis} advolvor, subiectissimā animi devotione obni-
xē contendens, ut Vestra Cels.^{do} tenuem hunc ingenioi^m mei factum,
facili & porrectā fronte aspicere non dedignetur. Expressit à me il-
lum, non vanæ gloriole aucupium, non levis aut lucri cupidas animus,
sed Praclarissimorum Patrum Academicorum benevol^a voluntas, & in
studiis qualiumcunq^{ue} profectum ratio. Et quemadmodum Apum est,
non quidvis ex quovis, sed aliunde Metyn, aliunde Pissoceron, aliunde
Propolin, aliunde Erythacen, aliunde sobolem, aliunde Mel colligere:
sic & tedium lectoris medicaturo mihi consultum visum, totum thema
non uni sed pluribus Authoribus ferre acceptum. Ad Vestra Cels.^{nis} igi-
tur amplissimum patrocinium, meus hic, quamvis exilis labor unicè con-
fugit, sati conscius se quam Vestra Cels.ⁿⁱ post Deum, nulli plus de-
biturum. Accipiat igitur illum Vestra Cels.^{do} sereno vultu, quena
Clientibus perpetuò propitium conservare sivevit. Concedatq^{ue} tan-
tum

rum devotis precibus, ut exigua debita observantia & gratitudinē indicia, in benignissimum Vestrā Cels. nīs prodire audeant conspectum. Quā verō gratiā universo Patriam nostrumq; Athenaeum benignitas te seculis decantandā perpetim est amplexa, eandem in me tenuerū Chentulum benignissimā transfundat. Cæterum mihi vita non erit amplius cara, quam ut gloria Celsitudinis Vestra, & laudibus non leviter percensendis industriam totam occupem, & Deum Ter. Opt. Max. calidis suspirijs venerer, ut in Vestrā Cels. nīs salutem vota admittat, & ad ea quæ animus destinat, propitius sit, quò Vestra Celsitudo in placidissimo atatu cursus ad arbitrium felix, vitam sine exceptione vivat beatissimam; quò Patria Solus, Rēip. literaria decus, Acadēmia emolumentum, Praeceptorum ac Discipulorum ornamentum, celsissimis auspicijs, fulcimine Celsissimi Herois firmissimo, perpetuum nitatur & exsplendet. Sic exoptat, exoptabitq; quamdiu lucis hujus usurā gaudebit

Illustrissimæ Vestræ Clementiæ

Subiectissimus Cliens

SIMON Tálpo Aboensis
Author & Respond.

THEOREMA PRIMUM.

Arithmetica inter Mathematicas scientias, Mathe-
eos studioſo, primo loco addiscenda est:



Ardanus affirmat Geometriam ante Arithmeticam esse docendam; sed solidis rationum momentis destitutus, erroris convincitur, à subtilitatum Magistro Scaligero in exercit. 321. Nec sine ratione: Quia quodcumq; Geometria probare conatur, per numeros ut facilius percipiatur, necessum erit, ut declaretur, explicetur & manifestetur. Numeris enim cum magnitudinibus, tanquam binis omnium quantitatum radicibus, magna intercedit etiam hac in parte communio & societas. Quapropter & Euclides hāc Logicā usus fuit, ut Numerorum libros, libro de lineis commensurabilibus & incommensurabilibus, ut posse quarum natura in numeris maximè evidens est, præmitteret. Sit Geometriæ subjectum continuum: Continuum vero qua tale unum; Arithmeticæ vero subjectum multitudo, utpote plurarespiciens, uni & opponitur, & est posterior: Observandum tamen, Multitudinem & Magnitudinem, cum quantitatem in species dividunt, non debere accipi relatè, quasi multum in respectu ad paucitatem & unum, magnum vero ad parvitatem dicatur: sed absolutè, prout ibi discreta, hic extensio continua attenditur. Duplex est ut Considerant patet; magnitudinis Geometricæ consideratio, *Absoluta* & *relativa*, quarum illa angustioribus circumscribitur terminis, cum nempe simplices quantitatum figuraciones designantur, hic verò totum negotium ad comparationes, relationes &

proportiones pertinet: quæ omnia nisi compositionum & divisionum operâ fieri haud possunt. Hoc autem est numerus, aut cum numero aliquo. Non igitur mihi licet dicere, Angulum rectum Trianguli æqualem duobus; nisi sciam quid sit unum, quid duo. Et si quid subtilitatis in magnitudine occurrit, id omne numerorum computationibus originem debet. Déniq; quia Arithmeticæ prior Geometriâ est, etiam prior erit reliquis partibus Matheseos: quippe quæ vel Arithmeticæ vel Geometriæ subalternantur, vel utriusq; operâ & fundamentis, conclusionum suarum veritatem consequuntur..

THEOR. SECUNDUM.

Regulis Arithmeticis facile palmam præripit Regula Proportionum:

Hæc enim *κατ' ἔξοχην* appellatur *Regula*: à Formâ, *Regula Proportionis*: à subjecto, *Regula Trium*, & corrupto vocabulo *Regula de Tri*: Item *Regula Trium Numerorum*: & propter insignem ac multiplicem usum, quem in societate humana præstat, *Regula Aurea*, atq; etiam *Regula mercatorum* nuncupatur. Nam & instar capitis Logisticae præest, & fundamenta regulis omnibus subministrat. Ac veluti sol intersidera, aut aurum in vitâ œconomicâ; in disciplinis Mathematicis emicat atq; relucet.

THEOR. TERTIUM.

Sicut Anguli acuti amplitudo, arcum quadrante minorem; Ita obtusi Amplitudo, arcum majorem eodem conficit.

Crura qvibus acutus Angulus fulcitur, ad se invicem acclinant; Et quo magis se contingunt, eo Angulus evadit minor

minor & acutior. Obtusi vero Anguli crura ita declinant, ut majus comprehendant spatium, quam in Angulo recto: Ideoq; quo longius a se invicem recedunt crura, eò et jam major & obtusior fit angulus. Hinc non ineleganter conferunt nonnulli Angulum rectum cum Virtute, nempe liberalitate; obtusum cum excessu, v. g. prodigalitate; acutum vero cum defectu, utputa avaritia. Hic obiter licebit notare: cum Angulum Angulo dicimus majorem vel minorem, non fieri oppositionem contrariorum. Nam quantitati ut quantitati nihil est contrarium. Quando autem aliquid magnitudinis vel parvitatis nomine venit; tum id non per se ipsum est tale, sed eò quod ad aliud refertur. Et quando linea curva habet se ut opposita ad rectam, non intelligenda est oppositio illa de linea & linea, sed curvitate & rectitudine, quae ad classem qualitatis referenda erunt. Simili ratione superficiem superficie non contrariari asseveramus, utut alia albam, alia nigram, alia asperam, alia levam ostentet faciem.

THEOR. QVARTUM.

Duas solum Figuras primas, utpote Triangulum in superficiebus, & Pyramidem in corporibus Planis agnoscit Geometria.

Pro simplicissimo venditur id, quod ex nullo se priore aut simpliciore componitur, & quod in alia se priora resolvi abnuit; sed potius alijs originem & fundamenta largitur. Tale quid in planis figuris i. e. superficiebus est Triangulum. Quod etsi in plurima Triangula sit resolubile; nullatenus alij figuræ se priori aut simpliciori, suam originem fert acceptam; cum ex ipso reliquæ superficies omnes ori-antur, & in idem convertantur; uti sunt quadrata, quin-
quangula, sexangula &c. unde generali vocabulo triangula vocantur. Eodem modo in corporeis figuris planis,

primum tenet Pyramis; quippe quæ aliunde non originem trahit, verum ex quâ omnia copora plana componenda esse in confessio est: quæ idcirco dicuntur Pyramidata. Est quidem Pyramis in alias Pyramides innumeris divisibilis, ast simpliciorem corporis figuram in quam dividatur, planè respuit. Hinc itaq; nostræ assertionis dispalescit veritas, quod videlicet omnes superficies planæ Triangulo, omnia v. corpora plana pyramidi, originem suam debeant. Quare duæ hæ figuræ meritò salutantur primæ. Et si de cono sermo erit, utiq; non denegamus illi primum in solidis varijs. At Triangulo & Pyramidi solis quia reliquæ figuris antestant, primas dare non dubitamus. Nihilominus non abludit à veritate, conum in alia solida varia esse indivisibilem; quamvis interim in diversas partes se resolvi patiatur.

THEOR. QUINTUM.

Circuli Cosmographici imaginatione & mente concipiuntur in Mundo, atq; idèo Entia rationis appellanda.

Quamvis non credamus reales circulos in sphera mundi occurre: non tamen dicendum videtur circulos illos planè esse Entia rationis nisi intelligas rationem ratiocinatam, siquidem sidera verissimè describunt ejusmodi circulos: Sunt igitur Mathematicis instar filii Thesei. Nam quemadmodum ex Poëtarum scriptis constat, Thesea duitu filii Ariadnei explicuisse se è sinuosis labyrinthi anfractibus, sine cuius adminiculo se extricare neutiquam potuisset: Similiter mens nostra aditura sacrum Naturæ Adytum (unde propter intellectus nostri imbecillitatem videmur excludendi) filo ejusmodi peropus habet, ut ejus doctu errorum syntes prætervehatur. Per filium vero istud nihil aliud intellectum volumus, quam certam Analogiam alieujus machinæ, intellectus nostri operâ producere

productæ, ad repræsentandam mundi figuram. Hinc factum
qvod peritiores Artifices effinxerint figuram sphæræ mate-
rialis, eamq; variis distinxerint circellis: ut terrestria cœlesti-
bus sint homologa, ac mundi superioris quantitas utcunq; possit o-
culis subiecti atq; explicari.

THEOR. SEXTUM.

Æqvatorem non ineptè propter usus evidenti-
am, Circulorum Præstantissimum ap-
pellarunt Authores.

Ille enim primum motum mensurat: qvoniam concipi-
tur cum ipso cœlo circa Terram volvi ab ortu in occasum
spatio 24 horarum, motu uniformi & concitatissimo; Ideò
non incommodè appellatur regula primi mobilis. Deter-
minat enim quantitatem diei Naturalis, qvæ semper æqua-
lis est arcui æqvatoris diurno inter punctum oriens & occi-
dens intercepto. Deinde, qviā rectum est mensura sui & obliqui,
ostendit quænam signa Zodiaci, & qvæ astra sunt borealia,
qvæq; australia. Et qvia Zodiacus super Polis proprijs move-
tur, ac respectu primi mobilis inæqualiter convertitur, in-
dicat inæqualem istum motum reducendum esse ad regula-
rem. Hinc est qvod ab eo sumunt initium declinationis
omnium punctorum Eclipticæ, omniumq; stellarum. Inter
officia ejus etiam hoc haud postremum est, qvod bina im-
dicet æqvinoctia. Qvandoq; videm enim Sol, cum ad hunc
regressus fuerit circulum, noctem in toto orbe, diei reddit
æqvalem. Porro sciendum, hanc præ reliquis circulis præ-
stantiam, non solum Æqvatori in sphæra cœlesti, sed etiam
in terrestri tribuendam esse. Est enim ex hoc petenda men-
sura regionum & locorum, numerando ab ortu in occasum,
& contra: qvæ longitudo tanta est, quantus est Arcus æqua-
toris interceptus inter primum, lociq; dati meridianum.

THEOR. SEPTIMUM.

Omnes Stellas ubiq; videre, planè impossibile est.

Monstrat hoc *ratio temporis*, partim qvia dimidia cœli pars semper est sub Terrâ, partim qvia de die radij solares, minus lumen stellarum offuscent & abscondunt. *Locum s; consilimus*, triplicis generis incolas deprehendimus: primò, qvidam habitant sub æqvatore, & his omnes stellæ sunt conspicuæ, cum utrumq; polum habeant cardini incumbentem. Deinde, qvidam degunt sub alterutro polorum, qvibus alterum solum hæmisphærium appetet, alterum perpetuò sub Horizonte delitescit; & his non videntur stellæ oppositi hæmisphærij. Tertiò qvidam habitacula sua locis intermedijs fixerunt, qvibus media qvodammodo est ratio in observandis stellarum faciebus: ita tamen ut quo æqvatori sint propiores, hoc plures numerent stellas, qvò autem remotiores, eò pauciores.

THEOR. OCTAVUM.

Quatuor potissimum possunt dari rationes, ob
qvas sidera certis nominibus sunt insignita.

Prima ratio desumpta est ab Ethnicon hominum superstitione cultu divino, & Poëtarum crebra usurpatione, qvā Regum & Heroum excellentium, qui è literis & Republica æterorum decus reportarunt, titulos & insignia cœlo afferuerunt: qvā in classe sunt nomina Saturni, Jovis, Herculis, Persei, Pegasi, Orionis & similia. *Secunda ratio* deducitur ab externâ figura & convenientiâ qualicunq;: ut patet in Triangulo, Coronâ, Sagittâ, &c. *Tertia à regione Terræ* qvæ certæ alicui stellæ subjacet; ut Indus sic dictus qvod Indiæ habitatoribus immineat, vel istuc navigantibus appareat. Sic eodem jure appellare possumus stellam Græciæ, Germaniæ, Sveciæ, &c. illam qvæ super has regiones qvam maxi-

mē est elevata. Quartaratio eaq; verisimilima, ad effectus & operationes refertur, uti de Leone, Cane, Aqvario, &c. constat: Nam ceu leoni temperamentum est calidum, piscibus frigidum & humidum: sic sol cum in signo leonis com- moratur, astum concitat; cum vero in piscibus, procellis executit nives imbræ;

THEOR. NONUM.

Adeo proportionatus ordo est cœlestium facium,
ut in rectâ sphærâ simul orientes, etiam simul
occident, in obliquâ verò secus.

Ratio hujus rei evidens est; qvia apud illos homines qvi
sub æquinoctiali directè habitant, certum est omnes & si-
gulas stellas æqualiter supra Horizontem morari duodecim
horis; In sphærâ vero obliquâ inæqualem motum locum
habere propter obliquitatem. sic e. g. Cor Leonis & sidus canis
majorū, simul ferè apud nos oriuntur: sed canis aliquot horū citius ad
occasum vergit quam leo, cum ille propè distet à Tropico Capricorni,
hic v. versetur circa cancrum. Si tamē stellæ inter se expendendæ
sunt, non negandum erit vicinas stellas similis propemodum
esse conditionis, utut idem de remotis, haud sit affirmandū.
Et sic stellas, qvas non procul à sole divina collocavit
potentia, cosmicè oriri manè cum Sole, atq; cum eodem chro-
nicè vesperi occidere, & vice versa, observarunt Astronomi.

THEOR. DECIMUM.

Non Luna solum, sed & reliqui Planetæ ac Stellæ o-
mnes, maximam sui luminis partem debent soli.

Planetas & cœtera sidera, omni catere luce non est existi-
mandum, inest illis omnino lux, qvamvis exigua. Eximiam
verò claritatem qvam inferiori huic lucent mundo, à sole mu-

tuantur, & sunt instar speculorum reflectentium lumen solis ad Terram, qvod hinc patescit: *Primò*, luna, cum Terra interposita suo radios solis ab illâ avertit, subnigrat quan-
dam & ferrugineam nobis ostentat faciem. *Secundò*, relique
stellæ indicant se à sole lumen haurire, qvia qvò directius
soli opponuntur, eò clarius emicant. *Tertio* est extra omnem
dubitacionis aleam, solem omnes stellas claritate longè su-
perare. *Denique* etiam Astrologorum & Physiologorum o-
mnium calculo comprobatum est, solem esse unicum lucis &
caloris fontem, masculum sidus, Astrorum principem, oculum mun-
di, opificem dies, adeoque, singularem Naturæ gratiam. Nec nostræ
sententia obstat, stellas inæquali luce gaudere, cum non igno-
remus, receptivum recipere non ad modum imprimentis,
sed ad modum suæ receptivitatis. Deinde novimus disparem
esse earundem magnitudinem atque à sole distantiam.

THEOR. UNDECIMUM.

Motus Solis est & Äqvalis & Inæqvalis.

Respectu sui omnes motus in cœlo sunt æqvales: ast ita
ut alia sit æqvalitas in respectu ad proprium orbem seu sphæ-
ram; alia vero in respectu ad habitatores Terræ. Sic igitur
de solis motu tenendum: illum videlicet per accidens inæ-
qvalem videri, eò qvod nos non idem centrum in quo sol
suum perficit motum, habitemus; verùm in se omnino æ-
qvalem esse, nempe si ad centrum sui eccentrici referatur.
Hinc factum qvod eccentricorum appellatio in scholis Ma-
thematicorum sonare cœperit. Hac de re porrò ita sentien-
dum: Duo sunt centra super qvibus sol movetur, centrum
vidz, mundi & eccentrici. Neutiquam igitur fieri potest ut
regularē ac æqvalem obtineat motum. Sed duo qvia dantur
centra, duplē qvodoque dari motum necesse est. Super cen-
tro eccentrici, ut supra innuimus, movetur Sol motu æqvali.

Super

Super centro autem mundi, vel respectu Terræ, tardiori & celeriori. Tardiori cum signa perambulat septentrionalia; constat enim eum tempore æstivo in mediate septentrionali; commorari dies 186. vel ut alij computant, dies 187. Celeriori, dum signa meridionalia percurrit, etenim tempore brumali exigit dies in medietate australi 178. aut 179.

THEOR. DUODECIMUM.

Novilunia, exactis Annis Solaribus Politicis 19. Ad eosdem redire dies, sed non ad eadem momenta horaria, probare in proclivi est.

Ex annis istis 19. solaribus politicis, 15. sunt communes, dierum 365, & 4. bissexiles dierum 366. qvi spatio 19. annorum efficiunt simul dies 6939. & 18. horas. Jam simul cum his annis 19. Politicis Solaribus absolvuntur 19. anni lunares qvi dies numerant 354. Et illi anni communes Clares superant singulos annos lunares 11. diebus, bissexiles v. 12. diebus. Si igitur multiplicantur 354 per 19. & 11 per 15, & 12 per 4. numerabuntur in unum dies todidem 6939. cum 18. h. omnes ergo lunationes qvæ intervallo 19 annorum Clarium continent, tot absolvunt dies, qvot 19 anni Clares. Completis itaq; 19 annis, in eundem diem, & Novus Annus & novalunatio recidit. Toto vero isto Tempore fiunt 235 lunationes, qvia totus ille cyclus 19 annorum, continet 7. annos Embolismales, qvibus 13. lunationes contingunt, & 12 communes, qvi non plures qvam 12 agnoscunt lunationes. His intellectis veteres Mathematici, præcipue Methon Atheniensis 431 ann. ante natum Christum; Item Alexandrinji in Aegypto, Sosigenes, Julius Cæsar & alij, annotarunt in calendario 19 numeros (ex his 19 Annis) qvam revolutionem Cyclum lunarem nominabant & Aur. N. initium faciendo à 1 usq;

ad 19. ad imitationem eorum dierum uniuscujusq; mensis,
in qvibus spatio 19 annorum novilunia politica in futurum
contingere sciebant, & qvia politica novilunia indicare vo-
lebant, id operam dederunt ut lunationes alternatim dies
29 ceu 30. continerent, & ut Novilunia unius anni antever-
terent alterius Anni ii. dies, qvibus claris annus lunarem
excedit. Adscriptus item fuit hic cyclus Calendario veteri,
sive tempore concilij Nicenij ab Alexandrinis Mathem. sive
postea tempore Justiniani imperatoris a Dionysio exiguo
Abbate Romano, ubi primo diei Jan. adjectus est Num. 3.
qvia illo anno quo hic cyclus appositus est, Aur. Num. fuit
3. & sic conseqventer. Et licet sic disposito Aureo numero
ad invenienda Novilunia & xiv. lunam mensis Paschalis, si-
ne sensibili errore in primis annis utebatur Ecclesia, lapsu
tamen temporis est error talis deprehensus, ut circa Annum
Christi 1582. (quo Calend. Gregor. cœpit) novilunia 4 diebus
& amplius, in cœlo citius contingenterent, qvam in Calenda-
rio per Aur. Num. indigitarentur. Cujus causam si deside-
res, hanc habebis: qvod vidz. Anni 19. lunares Politici
excedant Annos 19. lunares Astronomicos h. i: 27. 28. qui
excessus in sœpius repetito cyclo decennovenali incrementa
capiens, dies unam & plures conficeret.

THEOR. DECIMUM - TERTIUM.

Sol varias Lunæ Phases efficit.

Qvia enim luna humilimis cœli anfractibus inambulat,
corpusq; habet opacum qvod recipere potest mutuatitium
solis lumen. Itaq; semper pars ejus dimidiata vel paulò su-
pra dimidiatam, qvæ soli se obvertit, a Sole illustratur; atq;
cum Soli conjungitur, partem lumine mutuatitio' vacuam,
ad nos reflectit, sic ut de eâ nihil tum conspiciamus. At di-
gressa non nihil, paululum luminis, cornuum specie nobis
osten-

ostentat: quod progressu longiore semper crescit & auge-
tur, donec est regio[n]e soli opposita, totam medietatem illa-
minatam, oculis nostris usurpandam offerat. Simili ratione lu-
men paulatim iterum imminuitur in lunæ ad solem regressu.
Atq[ue] ejusmodi lumen manifestatio[n]es & occultatio[n]es, Quæris luna
appellantur, qvarum (ut hoc obiter dicamus) qvinq[ue], nume-
rantur: utpote, Conjunction, Sextilis sive Sexangula, Quadrata
sive Quadrangula, Triquetra seu Triangularis & Oppositio, qvo-
rum sunt signa & Δ \square * suntq[ue]; Lunæ vel crescentis vel de-
crescentis. Crescentis Luna species sic se habent: Primo die
sive in ipsa coniunctione cum Sole dicitur luna silens vel
interlunium. Quarto die sextilem facit aspectum, duabus
figuris à sole remota, diciturq[ue]; falcata. Septimo post con-
junctionem Die facit primam quadraturam, tribus signis à
Sole distans & dicitur dividua seu semiplena. Undecimo die
rursus triquetrum effingit aspectum, & qvatvor à Sole signis
est separata, diciturq[ue]; gibbosa. Decimo quinto die fit oppo-
sitio: tum dicitur Luna plena seu plenilunium. Decrecentis
luna aspectus bi sunt: 15^{mo} die est plena, soli per semicirculum
opposita. Sed ab oppositione digrediens, eisdem aspectus
quasi retrogradè repetit: ita qvidem ut die 19^{mo}, sit gibbosa
& Triquetrum efformet aspectum. Die 22^{do}, alteram facit
quadraturam, tum dicitur dividua. 26^{to} die sextilem facit
& dicitur falcata. 30^{mo} tandem die Soli rursus conjungitur
& in silentium abiit.

THEOR. DECIMUM-QUARTUM.

Duplex est Stellarum Motus, Primus & Secundus.

Primus qui alias communis dicitur, motus est, quo numerosus
ille stellarum exercitus circumagit q[ui]otidiè ab oriente
per meridiem in occidentem, indeq[ue] per media noctis
tempus rursus in orientem, unde & νυχτιμεγαλος Diurnus &

quotidianus vocitatur. Hic motus est omnibus manifestus, nec operosā indiget demonstratione. Est verus ac realis non apparet. Est circularis ac in se rediens, ut sensus judicat. Quia illa supremi cœli laquear coronantia sidera, motu diurno ab oriente paulatim ascendunt uniformiter, donec ad meridianam summamq; altitudinem perveniant; deinceps vero descendunt pedentim, motu itidem uniformi, donec visi nostri se subducant, & post solitæ proportionis tempus iterum oriuntur & ascendere incipiunt; in hoc autem motu, eandem inter se distantiam qvæ prius apparuit, servant, ideoq; æquidistanter circa terram, tanquam circa centrum, moveri videntur, ac proinde circulos describere, cum æquivalent linearum distantia à centro, argumentum sit formæ circularis. Non putandum tamen hunc motum siderum perfectè circularem, sed spiralem sphæricum esse, quia stellæ non egrediuntur semper ex eodem punto horizontis, nec in eodem occidunt, nec semper habent eandem altitudinem meridianam: sed haec omnia quotidiè mutantur, valde sensibiliter in planetis inferioribus, minus sensibiliter in superioribus, insensibiliter in stellis fixis. Ut hæc partim sensu, partim observationibus Astronomorum patent. Secundus & proprius stellarum motus est ab occasu per meridiem in ortum, indeq; per medium noctem in occasum. Notarunt enim Astronomi, non tantum Solem & Lunam (quod omnibus patet) sed reliquos etiam planetas non habere semper eundem inter se situm & distantiam, sed lunam uno die esse conjunctam cum Sole, alio ab eo recessisse versus partes orientales; eandem lunam, coeterosq; planetas omnes esse uno die cum tali stellâ fixâ conjunctos, ut in tali gradu alicujus signi existere, alio vero die recessisse ab illâ stellâ aut gradu versus partes orientales videantur. Observarunt præterea iidem Astronomi distantias stellarum fixarum à punctis solstitialibus

bus & æquinoctialibus cœli stellati, non manere eisdem semper sed crescere & augescere secundum successionem signorum Zodiaci ejusdem cœli stellati / qui initium fuitunt à puncto æquinoctij verni) h. e. versus orientales partes progreendiendo ita ut plurimæ stellæ quæ aliquo tempore fuerunt ante puncta solsticialia & æquinoctialia, nunc reperiuntur post ipsa; alia vero quæ ab ipsis versus occidentales partes remotæ erant, proprius ad illa accesserint. Hic motus stellarum qui tardissimus est, vocatur motus in longitudinem & in consequentia signorum Zodiaci, nimirum ab Ariete in Taurum, à TAURO in GEMINOS &c. Et propter hunc motum statuunt Astronomi duos Zodiacos in cœlo stellato, unum intelligibilem id. signorum inchoatum à puncto æquinoctij verni, alterum visibilem id. asterismorum inchoatum à primâ stellâ asterisni arietis. Propter motum prædictum ajunt nonnulli Astronomi æquinoctia præcedere vel retrogredi in præcedentia zodiaci; quod intelligendum est de Zodiaco Asterismorum, nam non fiunt amplius juxta primam stellam Asterismi Arietis, ut olim, sed aliquot gradibus ante. Hie motus stellarum ab occidente in orientem non est realis, sed apparenſ tantum propter retardationem, eo quod non omnes stellæ, motu suo ab oriente in occidentem simul integrum circulum seu spiram perficiant, sed quando Sol v. g. suum jam perfecit, luna nondum perfecit suum, sed retrò manet, ideoq; retrogredi nobis apparet ab occidente in orientem. Quidam igitur stellæ fixæ paulò lentius absolvunt integrum circulationem spiralem, quam primum mobile; & his lentius Saturnus & adhuc lentius Jupiter, & Mars & Sol cum Venere & Mercurio, & lentissime omnium luna, ideo videntur moveri ab occidente in orientem eò velocius, quo tardius absolvunt circulationes suas; cum tamen non moveantur nisi spiratim ab oriente versus occidentem. Sunt itaq; apparenter tantum duo motus in Sole & reliqua planetis ac stellis,

THEOR. DECIMUM-QUINTUM.

Sol cum obscuratur nihil damni patitur.

Cum Luna currit inter Solem & Terram irradiationem ipsius secundam, ut loqvuntur, tantum a nobis avertit, primam vero irradiationem minit. Sol namque nihil de lumine suo deperdit, sed saltem illis Terræ locis quæ umbra lunæ involvit, radiorum suorum fulgorem denegat. Qvod vero non universa Terra defectum hunc luminis sentiat, sit quia corpus Terræ amplius & majus est corpore Lunæ, ideoque non potest conus umbræ lunaris totum Solem toti Terræ, utpote corpori ampliori cripere vel adimere, verum aliquam tantum ejus portionem obtegere. Igitur Eclipses Solis non ad centrum Terræ, ex quo verorum motuum lineæ educuntur, sed ad visum eorum, quos umbra lunæ apprehendit, determinandæ sunt.

THEOR. DECIMUM-SEXTUM.

Aeqinoctia non incidunt in eosdem dies, quos observarunt Tempore Concilij Nicœni.

Si annus Solaris Politicus esset idem cum Astronomico qui est dierum 365. h. 5. 491 12// æqinoctium verum sedem non mutaret; Sed quia superat hunc Annus Solaris politicus 10/ 44// retromearunt æqinoctia versus initium mensis 10. dies, ita ut jam contingant ferè 10. Martij, quod ita collige: Acceptum Anni Astronomici excessum resolve in minuta secunda, utpote 644 & dic 644// faciunt unum annum. Ergo 86400. (minuta unius sc. diei) dant annos 134 $\frac{10}{84}$. Et post tot annos i die citius contingit æqinoctium ab 10 Martij. Et sic porrò 134. anni dant i diem ergo 1343. anni (a concilio Nicœno ad Annum 1674) dant 10 $\frac{13}{84}$ dies.

Theor.

Mensis lunaris communiter dividitur in
Periodicum & Synodicum.

Periodicum seu peragrationis aut circummissionis dicunt intervallum temporis quo luna Zodiacum seu propriam sphæram Zodiaco æquivalentem perambulans, ad idem punctum Zodiacum aut sphæram, unde digressa est, regreditur. Hic mensis si consideres motum lunæ qui verus nobis apparet, ad inæquvalitatem accedit propter disparem ac inæqvalem motum lunæ; si v. medium motum inter tardissimum ac velocissimum species, prout æqualis esse concipitur, venit nomine Mensis periodici medij. Mensem Synodicum seu conjunctivum definiunt spatium temporis, quo luna ad solem unde progressa est, postquam diversas phases mundo inferiori obverterat, revertitur. Hic mensis longitudine excedit periodicum, propterea quod luna à conjunctione quam cum Sole fecerat in aliquo Zodiaci punto. v. g. in principio Arietis, postquam emissa est Zodiacum totum, usq; ad idem punctum, non offendit Solem in illo, sed longius uno ferè signo orientem versus, motu proprio progressum; ideoq; ut illun. iterum cursu deprehendat, necessum habet adhuc unum ferè signum, quod interea Sol consecit, percurrere, antequam Solem adhuc interim procurentem asseqvatur. Et hic Mensis vocatur etiam Lunatio, & similiter inæqualis est, propter inæqvalem motum Solis & Lunæ; reducitur tamen ab Astronomis ad æqualitatem, singendo medium quendam motum inter tardissimum ac velocissimum. Logissimum mensem Synodicum facit Ptolemaeus dier. 30. h. 3. 14/3// Tychod 30. h. 1. 24/3// Brevissimum Ptolemaeus d. 28. h. 22. 14/3// Tycho d. 28. h. 23. 24/3// Inter hos medium d. 29. h. 12. 14/3// circiter. Parco memorare alias mensum lunæ,

Lunarium species, ut sunt Mensis illuminationis, Anomalisticus, Apogisticus & Dramaticus. De quibus videlicet Ricciolum lib. 4. Alm. c. 19.

THEOR. XVIII.

Geographi præcipuum munus est investigare locorum longitudines & latitudines.

Hinc non male qvibusdam ita describitur *Geographia*, quod sit descriptio orbis Terrarum secundum longitudinem & latitudinem. Certè caput ac summa rei, cognitione longitudinis & latitudinis absolvitur. His enim accuratè perspectis, nullo negotio ad reliqua perdiscenda progreedi licebit. Hic autem intellectus operâ concipiendi sunt circuli, totum hoc universum distingventes ad imitationem cœlestis globi, adeò ut infernè & supernè teneantur poli qui respondeant polis cœlestibus, & per polos deducti bini circuli primarij, *Æquator* & *Meridianus*: è qvibus ille distribuatur in gradus 360. incipiendo à primo meridiano versus occasum: hic in 4. quadrantes, qvorum singuli numerabunt 90 gradus ab æqvatore versus utrumq; polum. Circumcirca æqvatorem versus polum ducendæ veniunt lineaæ ipsi parallelæ, qvas cosmographi appellant circulos parallelos. His ita constitutis, ajo longitudinem alicujus loci esse arcum *Æquatoris terrestris* inter primum, loci datu meridianum: arcum intelligo procedentem ab occidente in orientem. Latitudinem vero esse arcum meridiani terrestrii interceptum inter æqvatorem. Clarius ita collige: longitudo ostendit quanta sit distantia inter cujuslibet loci meridianum & meridianum primum versus occasum. Latitudo vero monstrat quanto intervalllo qvisq; locus dislet ab æqvatore versus polum boreum vel austrinum. Unde duplicum observare licet latitudinem, unam boream, alteram australē: non aliter ac in stellis duplex occurrit declinatio. Sicut igitur latitudinis initium desumitur ab ipso æqvatore: ita longitudo cujusq; loci à primo computatur meridiano.

THEOR.

Superficies maris est depresso superficialie Terræ.

Aqvæ superficies videtur esse altior superficie terræ, sed reverè non est. *καὶ δέξαντες* igitur est altior, non *καὶ αληθέαν*. Ratio prioris est qvod atra depressiora videantur, uti ex chasmatum apparitionibus constat & pictores non latet, qvi profundiora repræsentatur atro utuntur colore. Et his qvi procul in altum provehuntur, apparent terræ aqvis depressores, ideò qvia color terræ ad nigredinem quam maximè accedit. Ratio posterioris est: qvod nulla aqva naturaliter è loco inferiori ad superiorem promanet. omnia vero flumina, sicut è mari effluunt, ita in mare refluere, & sacra pagina & omnes saniores Physici testantur. Adhæc si aqva esset altior terræ, navis sponte suâ ad littus properaret, silentibus etiam omnibus ventis, id qvod est *αλογον*. Deinde versus quemcunq; mundi cardinem aliquis proficiscitur, deprehendit terram non cingi medium aqvis, nec his ut pomum innatare, sed partes aliquas declives & quasi excavatas, aqvâ esse oppletas, alias eductas, aqvâ carentes, grataam animalibus, & plantis sedem præbere. Idem etiam lunares Eclipses ostendunt, in qvibus umbra terræ exprimit rotundam figuram & desinit in conum & pars obscura rescinditur ab aliâ per lineam curvam sive circularem. Necesse est igitur terrenum globum qvi talem procreat umbram cum circumfusis aqvis secundum longitudinem mutuo complexu in unum coire globosum corpus. *Libertus Fromondus*, hanc rem dat egregiè expeditam, primo enim inquit; Flumina palam humiliora sunt ripis, igitur & mare littoribus. Secundo, qvo longius mare à terrâ recederet eo profundius foret: qvia ibi altissimum punctum aqvei gibbi esset, qvod tamen non est exploratæ certitudinis. Tertiò non par esset elevatio poli sub eodem pa-

Hallelō, in litore maris & alto mari, major enim cernetur elevatio ē vertice illo aqvei tumoris in medio mari. Quarto, Maro Flumina intra suos alveos repelleret. Quinto, venti gibbum illum maris, flatu effunderent & complanarent. Sexto naves solventes à portu, contra clivum aquæ oblectari oporteret, & magno molimine ascendere: in portum vero (uti supra dictum) nullo flatu aut æstu secundo, lapsu pro- nissimo defluerent, qvod risum movet nautis. Sed cur ergo inqves nautæ ē mari litora se videre depresso affirmant. Ref. Ratio hujus rei superius circa initium Theseos data est.

THEOR. XX.

Antipodes dari non est absonum.

Antipodes nonnulli vocant *antipodes* i. e. humeris sibi in-
vicem oppositos, Antoei quippe sunt tales: Antipodes au-
tem non humeros sed pedes sibi mutuo obvertunt. De an-
tipodibus istis qvæstio est an dentor? Lactantius & Augu-
stinus, anilibus fabulis eosdem vaniores existimant. Lucre-
tius vocat stolidos & vano errore delusos Antipodum asserto-
res: Rationes istorum hominum hæ sunt: 1. Qvia homines
hac ratione erunt penduli, & omnia crescent deorsum versus
terram. 2. Qvia Adami & Noachi posteri vix potuerunt ad
illas terras penetrare. 3. Sacra pagina docet sonum Aposto-
lorum in omnem Terram exivisse. Nullibi vero legitur ul-
lum Apostolum ibi concionatum fuisse. Has ratiunculas in-
firmant experientia ipsa & qvam plurimæ ad antipodes factæ
navigationes lusitanorum, Anglorum, Belgarum & aliorum,
qvæ satisfacere possunt omnibus, præterqvam ijs qui negant
discussis nebulis meridie lucere. Facile igitur seqventibus ratio-
nibus poterunt eorum argumenta convelli. Nam 1. Terra est
instar globi & ambitu gaudet amplissimo, ita ut homines nul-
qvam sint penduli. Nam qvia terra centrum gravitatis est, &
omne

omne grave tendit ad suum centrum, certum est homines deorsum ad centrum propendere. 2. Non absurdum est affirmare homines vel tempestate depulsos, vel ad explorandos terrarum situs emissos vel deniq; per speciale Angelorum ministerium deductos, eò locorum pervenisse. Porro proprietates Antipodum sunt: 1. eandem habere, sed alterius poli elevationem. 2. habere similem anni temperiem, dicrum & noctium quantitatem. 3. habere reliqua omnia contraria, videz. pedes, diei & anni tempora. Quando enim nobis nox, illis dies est: quando apud nos aestas nimio fervet astu, apud illos hyems continuo riget gelu: quando illos veris oblectant amoenitates; nos uberes Autumni sentimus voluptates, & vice versa.

THEOR. XXI.

Nulla quatuor mundi partium, peninsulæ similior est quam Africa.

Africam Asiam jungit isthmus qui inter Mare mediterraneum & sinum Arabicum interjacet. Ea quamvis non nihil longitudo cedat Europæ, latitudinem tamen multum eandem excedit. Competit enim illi spatium graduum ferè LXX. i. e. milliarium Germ. 1050. Europæ vero vix graduum xxxv. sive Milliar. Germ. 523. Ad hæc Europa tota sinuosa; Africa uniformis & continua est. Sed Europa quam maxime exculta est; Africa vero multis in locis solitudine damnata. Hæc jam olim detecta; hæc nondum plenè explorata est. Ut nemo Strabonem mendacij, merito possit arguere, si Africam Europâ minorem fuerit arbitratus. Aequinoctialis porro circulus, medium ferè Africam intersecat, & ipsa Tropicos utrinq; superat gradibus X atq; amplius. Clauditur ad septentrionem Mari mediterraneo & freto Herculeo: ad ortum sinu Arabico seu Mari Rubro & Isthmo Asiae inter hunc siam & Mare mediterraneum:

neum: à meridie oceano Æthiopico: ab occasu oceano Atlantico, qvi dicitur Mar. del Nort. Tria porrò sunt illi climata borealia & totidem australia. Constituitur enim inter undecimum parallelum Borealem, & undecimum antiparallelum Australem. Dies autem logissimos inter utrumq; parallelum extremum est hor. 14 $\frac{1}{2}$, & circa medium hor. 12. longitudo ejus est inter meridianum ductum per 4. graduum, & alterum per 8 $\frac{1}{2}$. grad. Quantitate igitur suâ, duplo ferè Europæ major est: et si dimidio minus incolarum Europæ continet.

THEOR. XXII.

Opticum solum bene videre, apud Mathematicos docetur.

Optica communiter definitur scientia bene videndi. Quam definitionem nonnulli reprehendunt, ideo quoniam naturæ beneficium est ut quis vel acutâ vel obtusâ oculorum gaudeat acie: sed sciendum est bene videre in data definitione, non idem esse quod sanum & acutum visum habere (hoc enim fluit ex naturali eufrasiâ, rectâq; oculi dispositione & strutturâ) sed rectè dijudicare visibile, & ejus veritatem ab offuscis discernere. Non igitur sequitur illum statim rectè videre Opticè i. e. Iudiciose, qvi rectè videt Physicè i. e. acutum. Hinc est quod Opticus sibi soli, bene videndi laudem vendicit. Cum enim sèpè numerò contingat objecta visibilia ab oculis bene se habentibus, non dextrè dijudicari, necessum est ut optica opem ferat, modumq; bene videndi res visibles tradat. Unde Optica commodè definiri potest scientia docens modum bene videndi. Modus igitur bene videndi constituitur objectum Opticæ adæquatum, proprium & totale: sicut proponere modum bene videndi, finis ipsius proprius & adæquatus, qvicqvad in contrarium afferant alij.

THEOR

THEOR. XXIII.

Corpora secundum superficiem solum in oculos hominum incurunt.

Diu est quod in optica schola sonare cœpit hoc axioma:
Sola superficies sub visum cadunt. Cujus rei hæc in promptu ratio est, quod solæ superficies efficaciter radient & corpora terminent, ita ut hæc absq; illis visu neutiqvam percipientur. Qvamvis igitur id quod intra corporis superficiem continetur idoneum sit ut videatur, actu tamen non videtur; qvia radij visivm de se spargere nescit, propter superficiei cuius terminis circumscribituro oculum seu interventum. Hinc colorem non ineptè definimus qualitatem terminantem perspicuum in superficie corporum.

THEOR. XXIV.

Quod est per accidens visibile, aptum natum est, nō visui duntaxat, sed & pluribus sensibus patere.

Lux & color visibilia propria appellantur, qvia solo visu observantur. Quæ per accidens sunt visibilia, pluribus sensibus qvam visu percipi non abnuunt; sit e. g. *Magnitudo*, *figura* & *similia*: sic figuram in luce visus; in tenebris, vel etiam oculis obvelatis, tactus sentit: magnitudinem & numerum, sub tactum & visum: motum & quietem, sub omnes sensus, solo excepto gusto, cadere, doctiores neutiqvam præterit.

THEOR. XXV.

Musica pro subjecto *κρήσεως* seu externo agnoscit materiam qvamlibet liberalem, etiam sacram:

Qvare insignem in omni vita genere
Præstat utilitatem,

Tractat

Tractat Musica res sacras ut Psalmos & cantiones Biblicas
quæ laudem Divini nominis concernunt. Res item liberales,
ut sunt Materiæ affectuosæ, quæ varias motiones animis ho-
minum insinuare solent. Musica enim interiora animi pe-
netrat, affectus ciet, contemplationem promovet, tristitiam
propulsat, humores noxios discutit, spiritus animales vege-
tos & alacres reddit: universæ humanæ vitæ, tantum præstat
utilitatis, ut homo pius per eam invitetur ad devotionem,
sapiens ad scientiam, solitarius ad recreationem, domesticus
& in publico constitutus, ad animi moderationem, sanus ad
corporis temperationem, facetus ac lepidus ad oblectatio-
nem: ut præclare ait præclarus ille rei Musices scriptor Lip-
pius in Syn. Mus. Hinc Musica liberalis Diabolo odio est:
spurca vero atque illiberalis ipsum magnoperè oblectat, quia
illa utitur tanquam tendiculo quo animos captat hominum,
in luxuriam & scelera projectorum, quods Musicæ illius Dia-
bolicae non minima tenet voluptas. Sancti Angeli è con-
trario Musicâ delectantur sacrâ & liberali, non quod in ipso-
rum Mentes possit illabi Harmonia corporea, sed quod omnis
Harmonia quæ affectum praezu voluntatis sibi habet adjunctum,
castitatis amantibus illis spiritibus perplaceat atque accepta sit.
Multis in locis etiam docet scriptura quam grata Deo τετρα-
μέτρω fuerit Harmonia sacra, quam in magno æstimo ha-
buerint sacri vates, Heroës invictissimi, alijque; pietatis constan-
tissimæ cultores.

THEOR. XXVI.

Libra quæ justissima videtur, multis modis
potest esse Fallax.

Primo propter inæqualem brachiorum longitudinem.
Qvis enim ignorat, grave ex longiori brachio dependens,
plus obtinere ponderis, quam ex breviori. Itaque; si merx
brachio

brachio breviori, sicut omnia contraponduntur, longiori apponatur, fraus committetur. Secundo propter inæquitatem funiculorum. Etiam enim libra habeat brachia exactissimè æquales, & trutinam perpendiculariter demissam, & lances æquales gravitatis, & funiculos pondere æquales; si habeat tamen funiculum alterum altero longiore, incumbatq; plano horizontali impositis æquilibus ponderibus; non apparebit æquilibrium, si punctum suspensionis fuerit in centro gravitatis, vel infra, sed videbitur præponderare ad illam partem, qvæ habuerit breviorem funiculum. Tertiò ratione plani inclinati cui incumbunt lances. Etsi enim libra sit exactissimè facta & omnia æquitatem in pondere & in longitudine observent, incumbat tamen plano non horizontali; imposta pondera æqualia non sunt factura æquilibrium, sed videbitur præponderare lanx qui incumbebat parti depressiori plani. Quartò si lances libræ sint ferreæ, & infra tabulam subtilem in quam lances propendent, occultetur magnes benè magnus, eiq; incumbat lanx cum meribus, facili negotio fraudabit emptorem venditor.

A D D I T A M E N T A.

Metaph. 1. *Essē à se negat dependentiam Effectivam alius ab alio.*

2. *Substantiae non repugnat esse incompletam tum intrinsecè, tum ratione status.*

3. *Non omnis substantia prima intelligens, est persona.*

Pneum: 1. *Spiritiu creato competit substantia verè simplex, sed nihilominus tamen composita.*

2. *Spiritus creati possunt ornamenti suis spoliari.*

Phys. 1. *Natura suos Natos non interitui sed perpetuitati destinat.*

Natura

2. *Natura proportione Geometrica jus suum cuīq; tribuit.*

3. *Nil obstat quin unum corpus plura occupet loca partialia, ratione diversarum sui partium.*

Ethic 1. *De virtutibus intellectualibus potest etiam agi in Ethicis.*

2. *Non quævis prudentia Politica Natura duce & Arte Magistra acquiriri potest.*

Politic. 2. *Omnes Principatus Natura temporarij sunt: nec minus quam ipsi homines occidunt desinunt q.*

2. *Tyrannicidam capitali supplicio lex neutiquam eximit.*

3. *Improbo Nobilitas tantum prodest quantum caco speculum.*

OEconom. 1. *Paterfamilias in sua domo nec leonis, nec simiae mores sequatur.*

2. *Liberi affectibus & moribus Nutricum imbuti, amorem & reverentiam Matribus debitam, sapientè deponunt.*

3. *Servus inexpertus præ exercitato interdum est eligendus.*

*Qui nostris ausis successum Christe dedisti,
Tu decus à serâ posteritate feras.*

FINIS.

Ornatissime VIX JUVENIS
Dn. SIMON Tálpo/ Philosophiæ Candidate meritissime,
S. & R. & M. tis beneficiarie per industrie, Sympatriota, Affinis
& amice per dilecte;

Jam studiis sacra dies affulget ab axe
Te monstrans multum perdidicisse prius,
Qvò poteris certam cursu contingere metam,
Ad quam per scalas scandere datus ariet;
Ergo bonis avibus Latus nunc pergit; Namq;
Mi SIMON Tálpol Nomine olarus eris.

L. Mq;

Fausti omnis gratia festinus adposuit,

ANDREAS PETRÆUS,
Acad. h. t. Rect.

*Optimarum artium studijs insigniter exculta,
& compositis moribus perpolito JUVENI*

DN. SIMONI JOHANNIS Tálpo/
honorum Philosoph. Candidato penitruo,
cognato & amico per dilecto,
Præclaros in his studijs prægressus gratulari voluit:

Græcia Philosophos magno celebravit honore
Et studijs doctis præmia digna dedit.
Roma simul, Latiumq; suos dum forte magistros
Exulit, ac artes devenerata fuit:
Utraq; tanstisper gens floruit inclita in orbe:
Hellados hinc laudes Ausoniæq; manent.
Ast simulac artes exosa est Græcia, pessum.
Iverat & vicijs perdita Roma fuit.
Troja vecus eeu Palladium, aut ancilia coelo
Lapsa reservavit Roma vetusta prius:
Sic artes regnis Reges servare potentes
Addecer & Musis conciliare decus.
Gratulor hinc Patriæ, Majestatiq; supremæ
Grates perpetuas supplice mente fero.

Quod

Qyod cives studijs doctis & honoribus ornat,
Ocia qvod Musis atq; Lycæa dedit.
Palladio huic nostro lætus quoq; gratulor atq;
Comprecor ut patriæ sit sine fine decus.
Civibus has hederas Sophiæ quoq; gratulor amplas,
Quas tibi cum socijs noster Apollo dabit.
Quas voveo, accipias felici sidere miles
Authoramentum, ut Candida sponsa cyclum.
Casta fides, mens casta Deo te foedere jungant
Perpetuo, Sophiæ, tum patriæ atq; polo.

Animo lubenti, sed manu impedita

MARTINUS MILTOPAEUS
E. P. P.

In Disputationem Mathematicam pereximii
Dn. CANDIDATI SIMONIS Zalpo/
Ἐπίχειρου.

QVaris cur raros Pallas numerarit alumnos
In Metrices studiis Uraniæq; sacris?
Quies tamen exurget celo contermina fama,
Inter Eximios non moritura viros?
An quia dedebeat diuturnis qvarere curis
Quia subito nequeant, mente animoq; capi?
Sive quod exhausto non subsint manta labori
Premia, ut has Musas exhibilare queant?
Non egidem: potius pravi sententia sensus
Hoc crimen Musis dat male sana pia.
Desidia atq; animi vis non intenta labori,
Sepius hanc spartam deserit atq; fugit.
Post, quia non capiunt, damnant, vel scommata fingunt
Optantes potius deteriora sequi.
Tu meliora sapi, nostri spes ampla Lycei,
Qui in stadio pergis currere ad alta tuo.
Non contemta tibi jacet aut neglecta, rotundi
Haec cali facies, jungi certa poli.

Dirigis

Dirigis in Cœlos vulnus scriptoſi recensēſ

Dolis digna viriſ, austriſ atq; tuis.

Hoc ſpecimen duplici tibi penſet fanore cœlum,

Pallas enim laurum, non inimica, parat,

Dicit ♂: Ex Batavâ terrâ hactenus aſtra micarunt,

Nunc rutilant Abo & legibus aſtra tuis.

JOH. FLACHSENII.

Πρὸς τὸν ἄνδρα νέον σπουδαιότατον καὶ πριωτεῖον κύριον
ΣΙΜΩΝΑ ΤΟΛΗΠΩ τὴν ἐν τῇ Φιλοσοφίᾳ πρὶν δεξιόμενον
Οὗθως ἐνόμισος τὴν Σοφίαν τὸν τῆς χρόνον θερμένεν καὶ μόνην
τῶν ξηραίτων εἶναι ἀθάνατον. Διὸ γέντον μετὰ Σούνιης σπου-
δῆς καὶ ἐπιελέσιας τῶν τῷ τηροῦσθαι τὴν Φιλοσοφίαν Διελεύθερον τῶν χρησίμων
λόγων ἀκάπτως μεμάχυνας, εἰδας γὰρ ἀνεῦ τῆς παιδείας ὅδε τὸν θη-
ρεῖων Διοctέρευν τὸν ἀνθρώπον. ὡς ἐν τῇ Φιλομαθῇ, οὐτα καὶ Διὸ τὴν
Φιλησίαν τὴν τοῖς ἄλλοις χαλεπῶς εὐρημένα συμβέβηκε σοι παδίως
μανθάνειν. Πορεύεις τὸν καὶ μετὰ χαρᾶς τὴν πρὶν περισσότερον τὸν Διὸ
τὸν αὐτῆς ἀντιποιεῖσθαι τὸν αποδιδώσι σοι η̄ Φιλοσοφία. Ἐρρώσ.

σύγχαρη φελλαγιὴ
ERICI FALANDRI
Heb. & Græc. Ling. P. P.

Præstantissime Dn. CANDIDATE, Fautor & amice honorande.

Affectus erga me tu recordatio, cum animum subit meum, maxima
afficior Lætitia, cum ob honestam familiaritatem, tum ob fraternum
amorem, quo me semper amplexus es; quem ego vicissim tibi expli-
care haec præcipue occasione data non alienum a me esse duco; &
egregios ac laudabiles tuos progressus gratulatione aliqua com-
memorare. Studia humaniora non minimum difficultatis habent;
quam designare procul dubio, existimo collem Musarum in multam
altitudinem porrectum, ac scansu difficilem, viamq; ad illum tenden-
tem frequentioribus obsitam scopulis, exiguae latitudinis; nam non
datur ad Musas currere lata via. Cujus vestigia ab hac erraverint, ni-
hil mitius promittunt quam exitiale dampnum. Gratulor itaq; tibi
frat-

frater honorande, quod inoffenso tenore huic viæ infriteris hucusq;
tendens recta ad rupem Musarum: ad illam enim penetranti plurimi
molestiae ac laborum est exantlandum. Et quia semper inde-
fessus Charitum cultor extitisti, & in spem solidi honoris masculè de-
sudasti, ac egregios tuos conatus, multoties excellentissimorum
vitorum oculis perspiciendos stitisti: ultimumq; jam discrimen ad-
gredieris, quod satis superq; monstrat, te præfixum scopum attigisse.
Hujus igitur tam præclari honoris fastigium, tibi magnoperè gratu-
lor, & Supremi Numinis favorem calidis invocatum eo votis, ut ul-
teriorius conatus tuos velit fortunare, ac cœlestis benedictionis segete
te beare; quò indepti honores in nominis Divini gloriam, Patriæ e-
molumentum, proprium decus, Parentum, cognatorum & agnato-
rum, maximum gaudium ac solatium cedant. Hoc cordicitus exo-
pat ac vovet;

Tui amantissimus

SAMUEL P. TILENIUS.

Virtutus honor & artium liberalium studia, quantum præstantioris-
bus ingenij conducant, testari possunt illi, quibus clementissime
summi hujus universitatis rectoris bonitas, honestissimam cupidita-
tem earum rerum ingeneravit. Licet enim studiorum radices ama-
re sint, nihilominus tamen dulciores melle fructus ferunt & sum-
mam gloriam settatoribus suis parant. Ita tibi doctissime Dn. Can-
didate, Muse quas à primis annis etatis studiosissimè coluisti, coro-
nam lauream in signum diligentie tua transmittunt. Gratulor i-
tag, tibi hanc ingenij felicitatem & tam copiosum studiorum fructū,
quem juvenili etate percepis, cuius ne senes quidem omnes fiant par-
ticipes. Nihil aliud mihi reliquum est, quam ut calidis Deum o-
mnipotentem votis invocem, ut Præstantissimum Dn. Candidatum ve-
lit ita in edem honoris hujus præclara industria acquisti intromit-
tere, ut tandem post hanc mortalem vitam ad eternum gaudium
introducatur: Vale.

Peregrinio Dn. CANDIDATO
paucis his gratulari volui

ANDREAS LAUR. SUICHERUS,
Aboensis, Regius Alumnus.